TUMORIS OSTEOIDIS CASUS SINGULARIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. JANUARII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS RUFFMANN

ORIENTALI - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

J. PIANKA, med. et chir. Dr.

O. KIRCHHOFF, med. et chir. Cand.

C. STELLTER, utriusque juris Stud.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRIS

DOCTISSIMIS, HUMANISSIMIS

TH. FABIAN,

IN GYMNASIO KNIPHOFIANO MAGISTRO, PROFESSORI,

NEC NON

H. BECKER,

SACERDOTI,

PRAECEPTORIBUS SUIS

DE SE OPTIME MERITIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Lectori Benevolo.

Sententia quadam physiologica illustranda uti ad dissertationem inauguralem meam conscribendam mihi propositum erat. Tamen, quamquam bene scio, morborum historias, quibus ad dissertationes conscribendas utamur, a paucissimis tantum perlegi, partim quia res centies conscriptas contineant, partim quod enarrata ipsa, etiamsi novi aliquid contineant, mentis acumine diligentiaque et assiduitate in rebus observandis indigeant, tamen morbi historiam, Tibi, Lector benevòle, traditurus sum. Res enim gravioris mihi videbatur momenti, qua perscrutanda plus utilitatis medicinae me allaturum esse putarem, quam si libellum conscripsissem, sententiis aliorum auctorum plenum ac compilatum. Tironi enim, qui, ut legibus academicis benignis sa-

pientibusque satisfaciat, specimen quoddam publici juris dare coactus est, ut candidatum nimirum vitam discipuli cum vita practica commutare coepisse appareat, justus incidit metus, ne res illa, quam tractandam sibi proposuerit, aut trita inveniatur decantataque, aut suas excedat vires. Simpliciter igitur atque sine ornamentis rationis dicendi enarrabo historiam morbi, per longius temporis spatium diligenter observati, arbitrum haud iniquum te, Lector benevole, mihi futurum esse confisus.

Benigno animo accipias opusculum.

Viris autem humanissimis omnibus, qui in hac dissertatione conscribenda et consilio et opera me adjuvarunt, Ill. Juengken, Ill. Müller, Cel. Froriep, Exp. Simon a me impetrare non possum, quin publice maximas agam gratias.

HISTORIA MORBI.

Pet. Fridericus Brandes, annos quatuordecim natus, die quinto decimo mensis Novembris ad nosocomium Caritatis allatus est. Cujus primus adspectus jam nos docuit, constitutione eum esse maxime lymphatica; facies erat efflata, crines flavi, labia crassa, simae nares, totius corporis cutis pallida! Quae omnia systema venosum omnino praevalere indicabant. Accuratius cum eum inspiceremus, hydrops inveniebatur ascites magnitudinis ingentis, oedema scroti et femoris sinistri. Prae ceteris nobis in oculos incidit tumor ingens in genu sinistro, qui cingebatur venis superficialibus, quae funes quasi coerulei cassem formabant.

Primo adspectu hydarthrum propter corporis totius dispositionem hydropicam suspicatus essem; jam vero forma, cum quasi circulo cinctum videretur genu et praecipue ipsa exploratione manuali, qua tumor inveniretur modice durus, et parvo tantum loco circumscripto animadverteretur fluctuatio, opinio haec rejecta est. Tumor albus tam mirae magnitudinis non invenitur; pseudo-

plasma 1) igitur quoddam nos inventuros esse, facile apparuit. Quod cujusquam naturae esset, exploratio et anatomica et microscopica, in posterum habenda, docere nos debuit. Constitutio hominis omnino cachectica suspicionem provocavit justam, materiam pathicam ad locum affectionis non tantum pertinere, sed morbum universo hominis corpori inhaerere. —

Quod attinet ad:

PRAETERITA

puer, se semper floruisse valetudine egregie bona edixit. Nec unquam intumescentiae glandularum submaxillarium, ulcera scrophulosa, impetigines, laesiones functionis tractus intestinalis, aliaeve affectiones, quae ad dyscrasiam praedisponentem pertinent, se ostenderant. Parentes rustici constitutione valent robusta; puer ipse, rure natus, a prima vitae aetate usque ad hoc tempus rusticis semper officiis occupatus fuit, ita ut remediis illis duobus, in constitutione lymphatica tantum valentibus, corporis exercitatione, aërisque salubris usu semper frueretur.

Ante has quatuor hebdomades, de arbore desiliens genu dextrum illisit trunco arboris, ita ut humi sterneretur. Tamen, quominus domum sese converteret, non impeditus, doloribus omnino vacuus, laeso femore usus est aeque ac integro. Diebus octo praeterlapsis, genu intumescere coepit, in dies tumor crevit, sed quamvis

---

1) Vide: Canstatt, Specielle Pathologie und Therapie pag. 191.

dolores ab initio non omnino deessent, facultas eundi non sublata est. Ita res cedit usque ad Calendas Novembres. Quo tempore movendo femore, cum dolores exsisterent graviores, lectulum petiit; neque ita longe post signa hydropica insecuta sunt, et aegrotus, diebus duo de triginta a morbi initio praeterlapsis, nosocomium adiit.

STATUS PRAESENS.

Exploratio manualis nos docet: tumorem modice durum, laevem splendentemque, venis varicosis superficialibus circumdatum, cum graviore impressu uteremur, dolore affectum, ossis femoris partem inferiorem includere. Femur cum fixum teneremus, facile tibia fibulaque moveri, patella condylusque externus et internus tibiae tactu distincte explorari potuerunt, ita ut tumorem in osse femoris tantum insistere facile appareret. Magnitudo intumescentiae videbatur eximia; extendebatur enim ab condylis usque ad femoris superiorem partem, ita ut decem digitos longam eam emetirer; genu taenia circumdatum inveni digitos viginti quinque in circuitu continens. Uno tantum in loco tumoris, ut supra jam dixi, modice duri circumscripto percipiebatur fluctuatio spuria; quo factum est, ut mox apertum hoc loco fore tumorem, pro certo haberemus. Temperatura in loco affecto permagne aucta, reactio totius corporis minor videbatur. Pulsus magnus apparuit, mollis, modice acceleratus, ita ut centum viginti ictus in horae sexagesima parte enumerarentur. Exploratione cavi thoracis facta, praeter hypertrophiam

cordis, quae non magni visa est momenti, nihil, quod memorando sit dignum, invenimus. Organorum cavi abdominis conditionem cum explorarem, hypertrophiam hepatis, quae minoris erat momenti, et percussione et manuum palpatione adjutus, expertus sum. Aegrotus integra gaudebat fame, lingua apparebat pura, functiones tractus intestinalis omnino illaesae. Cutis et renum secretiones minutae erant; inveniebatur enim cutis semper sicca, arida, urina flava parcaque, cui tamen albuminis nihil influit.

Venimus ad difficiliorem dissertatiunculae hujus partem ad

MORBI DIAGNOSIN.

Dictum jam antea erat, tumorem nos pseudoplasma quoddam habuisse. Altera incidit quaestio, utrum pseudoplasma hoc esset benignae naturae an malignae? Qua de re ut dicere aliquid mihi liceat, peto. Pseudoplasmatum quum divisionem instituere volumus, tria praecipue inveniuntur momenta, graviora et apta ad dividendum:

primum, quae accuratiora, sectione facta, de structura docent oculi inermes et microscopio armati;

tum, quae docet analysis chemica;

denique, quomodo singulae pseudoplasmatum cellulae primitivae nucleatae crescunt et excoluntur.

Schwannii enim experimentis docti, cellularum nucleatarum nucleum aliis recentibus cellulis matricem esse atque ita cujusque corporis animalium materiam exsistere scimus. Quam eandem rationem in pathologicis

quoque esse formationibus Joan. Müller in libro (1), cui scribendo id temporis intentus est, docet et demonstrat, maximi in ordine pseudoplasmatum constituenda momenti esse, quo diverso modo diversae hae cellulae primitivae excolantur (2). Quae cum ita sint, siquidem etiam nobis sectione facta, his tribus momentis dividendi adjutis, facile est intellectu, utrum tumor quidam malignae sit naturae an benignae, quid illud interest medici practici? Jam ante amputationem factam scire eum opus est, cujusquam naturae sit tumor. Quaenam igitur sunt in corpore adhuc intacto tumorum signa pathognomonica? Qua de re, quum multa jam disputata essent a medicis, diversis constitutis symptomatibus, quae pseudoplasmatum malignorum sola essent atque una, de hac re tamen artem medicorum non ita magno esse numero facile apparet. Venas. quasi funes in superficie pseudoplasmatum apparentes medici permulti edixerunt signum esse naturae malignae; quam quidem sententiam Joan. Mueller in libro egregio, cujus jam antea memoravi, rejicit (3). Alii alia constituerunt signa pathegnomonica, plerumque vero, ut ipsi edicunt, fallacia. Respiciamus igitur, rebus in incerto positis, corporis aegroti universi conditionem, mala graviora e cachectica plerumque procreari matrice, habentes.

---

(1) Joh. Müller, über den feinern Bau der Geschwülste. Berlin 1838.

(2) Ibidem pag. 7 et 8.

(3) pag. 10.

Nostro quoque in casu diagnosis certa non constituta est. Videamus in posterum, quae fuerit tumoris natura, cum expertum habeamus, quae exploratio anatomica, microscopica et chemica docuerint.

PROGNOSIS.

Praeterquam, quod tumor ipse naturae videbatur malignae, constitutio pueri lymphatica, hydrops debilitasque universa exitum omnino dubium esse nec spem permultam vitae conservandae habendam docuerunt.

CURA.

In dies tumor increvit, hydrops auctus est, vires magis magisque consumebantur. Unicum remedium positum erat in femoris amputatione; quae igitur facta est, ita ut lobi tegentes servarentur. Tum vulnus per horas sex spongia humida tectum, postea fasciis devinctum est; nec minus pharmaceutica cura, quam diaetetica provisum est, ut pars vulneris quam maxima per primam intentionem ad integrum perducatur. Pro usu interno aegroto per diem decoctum Althaeae unciarum sex, addita acidi muriatici drachma dimidia dedimus; tum quoque, ut vires ejus adjuvaremus, praescriptum est:

Rp. Lichen. Carrageen ʒi
Coqu. cum Aqu. ʒiv ad Collat. ℥ii
Adde Tinct. aromaticae ʒi
Sacchari albi ℥i
M. D. S. Per diem consumatur.

Vulnere ipso leviter tecto provisum est, ne quid perniciosi superveniat.

Aegrotus operatione tanta, nec non sanguinis jactura haud parva factis, pro tempore bene se habuit. Uno tenore ex vulnere seri permagna copia effluxit; quo factum est, ut hydrops paulatim succumberet. Aegrotus somno gaudebat tranquillo, functiones omnes illaesae videbantur, reactio parva. De exitu morbi in posterum referatur.

Transeamus ad ea,

QUAE DOCUERIT SECTIO IN FEMORE AMPUTATO INSTITUTA.

Tela cellulosa cuti supposita stratum ostendebat, digitum dimidium crassum, sero permulto infiltratum. Fasciae musculares paululum intumuerant, conspissatae et in substantiam cartilagineo-gelatinosam splendentem, facile loco movendam mutatae erant. Musculi omnes erant infiltrati et ruboris lucidi (qualis in locis cruris non depravatis, in musculis tibiae et pedis conspiciebatur) omnino indigebant, magisque coloris erant subalbidi et profundiores sordide subflavi canique. Videbantur quoque musculi pondere privati et tenuiores facti, cum impetu tumoris essent compressi.

Tum osse femoris ad longitudinem serra persecato, in oculos cedit in primis conditio articulationis genu. Membrana synovialis enim, nec minus apparatus genu ligamentosus exsudato aquoso amplificata, et interiore planitie relaxata, emollitaque fuerunt, alio loco rubefacta alio tumentia in toris singulis informibus, oedematosis. Sugillationes quoque telarum relaxatarum ubique

inveniebantur. Quae relaxatio oedematosa praecipue aderat iis locis, quibus membrana synovialis a margine cartilaginum semilunarium exorta ossis superficiem ipsam tegit. Massae ubique eminentes gelatinosae similes nonnunquam videbantur coronis brassicae oleraceae botrytidis. Cavum articulationis genu omnino expletum erat sero flavo et in osse femoris unum et dimidium circiter pollicem excedebat locum, quo condyli femoris positi sunt; quo factum est, ut exploratione aegroti priore tempore instituta fluctuationem spuriam in loco eodem supra patellam posito tactu percipere putaremus. —

Prae ceteris autem in oculos cecidit transformatio ossis ipsius; per totam enim longitudinem ab condylis usque ad femoris superiorem partem, non paulo a loco amputationis distantem, substantia commutata erat. Quae commutatio os, a cujus superficie proficiscebatur, undique cingebat. Natura spongiosa epiphyseos (quae optime hoc casu in conspectum venit, cum pueri adhuc quatuordecim annos nati, epiphysis atque diaphysis nondum implicatae essent, sed cartilagine intersistente jungerentur) sublata et in substantiam compactam, qualis in ossibus tubulosis invenitur, commutata erat. Nonnullis tantum locis telam spongiosam priore tempore exstitisse apparuit. Os femoris ipsum ossi tubuloso minime simile videbatur. Dimidium enim inferius in substantiam compactam eburneam mutatum erat; cavum medullare omnino expletum erat, medullae ossium ne vestigium quidem inveniri potuit. Paulo superius naturam ossis tubulosam cognoscere

quidem potuisses, minime vero tela spongiosa integra apparuit; parietes enim cellularum medullarium, substantia ossea excrescente condensati erant; quo factum est, ut haec quoque spongiosa ossis pars compactae ossis substantiae similes videretur. Quod autem prae caeteris mirum visum est, in exteriore ossis superficie animadvertimus. Illico enim sub periosteo ipso, luxuria apparuit ossea, primum orta in lamellarum singularum fibrarumque forma, quae directis ad perpendiculum lineis ab osse tubulari proficiscebantur (quales prae caeteris prope loco amputationis perspici potuerunt). Inferiore ossis parte, qua tumor magis jam excreverat, duo se ostenderunt strata diversa. Quorum alterum ab ossis parte posteriore profectum, structurae aut densioris aut spongiosae mollioris, substantiam formabat osseam singulas tantum lamellas molliores fibrasque continentem; locis nonnullis in hoc strato luxuriae apparebant egregie durae cum persecares, marmori similes, ex albido rubri, quae maxime evolutae videbantur prope condylis. Durities ibi apparuit omnino ossea, eburnea. Stratum alterum superficiei propius positum, substantiae fuit paululum mollioris, ex qua, cum imprimeres, facile humoris aliquid cruenti exprimi potuit. Plerumque in massa hac vasa modice condensata, ex rubro cana ramificata erant; substantias pathicas hic formari, et ossificationem nondum perfectam esse, facile apparuit.

Et os femoris et partes molles, ejus integumenta ab loco illo, quo amputatio facta est, omnino sanae ap-

paruerunt; in tibia quoque fibulaque et patella nihil aegroti perspici potuit, exceptis punctis nonnullis canis mollioribusque, quae, cum in tibiae medulla invenirentur, formationis pathicae prima videbantur esse momenta.

QUAE DOCUERIT MICROSCOPIUM.

In tumoris parte, cujus ossificatio nondum peracta erat, id est: in secundo molliore strato, de quo supra diximus, tela paene fibrosa apparuit spongiosa, granula parva longitudinalia cellulasque primitivas ubique continens. Quae granula proxima videntur corpusculis cartilaginum normalibus, paululum tantum majora. Tela fibrosa, quae fundamentum constituit prae caeteris similis videtur cartilagini ossium, antequam ad ossificationem perducta est, tamen diversa quoad structuram. Stratum tumoris alterum, ad ossificationem jam perductum, ejusdem naturae inveniebatur, eadem ex tela formatum, sed ad majorem jam evolutionis gradum provectum.

QUAE DOCUERIT ANALYSIS CHEMICA.

Analysi chemica experti sumus, tumoris partem molliorem cartilagini ossium proximam esse; massa enim cocta, gelatinam accepimus, quae colla fuit, non chondrine (1).

---

(1) Addatur hoc loco analysis chemica, quam exp. Simonis officiosa voluntate accepi; dicit enim vir hic:

Eine gewisse Menge dieser festen Substanz wurde andauernd mit Wasser gekocht, und gab ohne Schwierigkeit einen stark gelatinirenden Leim, welcher durch Alkohol in weissen reichlichen Flocken gefällt wurde; diese Flocken, nachdem sie mit Alkohol gewaschen waren, wurden in Wasser gelöst; es bewirkte in der

Re in omucs partes accuratim perscrutata, certi aliquid dicendum videtur, quoad diagnosin, certumque constituendum morbi nomen. Quod quamvis experto medico non ita difficile appareat cognitu, tironi tamen, in medicinam quasi intranti, majoris videri potest momenti. Quanta enim est diversissimarum copia sententiarum, quas medici docuerunt expertissimi! quanta librorum moles, de pseudoplasmatibus scriptorum! Non operae pretium videtur enarrare nomina omnia, quae tumoribus malignis hic, quae ille dederit auctor, nec signa pathognomonica addere, quae secuti alii alia pseudoplasmatum genera dividi voluerunt. Omittatur tota litteratura pseudoplasmatum, quam, ut taceam de caeteris, in dissertatione unaquaque, aut de fungo medullari, aut de carcinomate, aut de osteosteatomate, sarcomate etc. scripta, aliisve opuscu-

---

Lösung weder Essigsäure noch Alaun eine Trübung oder Fällung; durch Gerbsäure, Platinchlorid und Jod-Tinktur wurden starke Niederschläge; durch Kalium-eisen-cyanur und essigsaures Bleioxyd Trübungen erhalten. Ein Theil dieser festen Substanz wurde in dünne Scheiben geschnitten, getrocknet, gerieben, und im Oelbade vollständig vom Wasser befreit. 100 Theile dieser trocknen Substanz hinterliessen beim Verbrennen 99,93 feuerbeständige Salze; diese bestanden aus:

Basisch phosphorsaurem Kalk . . .	35,85
Kohlensaurem Kalk	2,70
Phosphorsaurer Magnesia	0,58
Chlornatrium	0,52
Andren löslichen Salzen	0,26

In primis igitur calcis carbonici quantitas, qualis in ossibus integris invenitur, diminuta est; quam diminutionem in ossium morbis persaepe exoriri, scimus.

lis invenire potes; redeamus ad libellum Joan. Müllerii, praeceptoris maxime venerati, qui, quod in libro suo, adhuc non perfecto, publice edicturus est, maxima cum benevolentia in auditorio jam nobis auscultantibus protulit. Pro quibus summis meritis non fieri potest, ut nimis magnas unquam viro huic illustrissimo habeamus gratias. Disciplinam igitur Müllerii secutus, osteoidem tumorem nostrum appellandum esse puto.

Osteoides enim sui generis pseudoplasmata sunt, non minus naturae malignae, quam carcinomata ipsa, tamen omnino ab iis diversa. Formati sunt tumores ex substantia ossea plerumque tenera, quam facile frangere et discindere potes. Qui cum ossibus tubulosis saepissime insidentes inveniuntur, tum maxime in ossis femoris parte inferiore animadvertuntur, tamen non morbum formant, ossibus proprium, cum in aliis quoque corporis partibus inveniantur. Remoti amputatione artuum, quibus insistunt, alio loco apparent. Memini exemplorum ejusmodi duorum, a Müllerio nobis traditorum, quorum in altero, amputatione femoris facta, pleura in ingentem tumorem durissimum osteoidem degeneraret; in altero casu tumorem femoris osteoidem similes tumores in peritoneo et tela cellulosa subserosa subsequebantur, ingens tumor osteoides vasa cruralia prope annulum cruralem circumdabat, in ipsis etiam pulmonibus ossificationes non parvae inventae sunt.

Exempla aliqua tumoris osteoidis in scriptis chirurgorum inveniuntur, commixta cum aliis morbis. Similem

femoris degenerationem e. g. Weidmann in libro de steatomatibus, Moguntiaeci 1817 Tab. V. icone illustravit. Huc etiam pertinere videtur Tab. IV. libri Fr. L. Augustin de spina ventosa. Hal. 1797.

Osteoides peculiaris naturae atque indolis ex luxuria ossea exoriuntur, omninoque differunt, quoad structuram, de qua jam ante (1) dictum, ab osteosarcomate, enchondromate, ossium fungo. A carcinomate osteoidem maxime abhorrere docet analysis chemica; quam dividendi rationem secutis nobis quum tria tumorum genera instituere liceat, prout diversa in iis elementa praevaleant:

primum: tumores albuminosi, in quibus albuminis (carcinoma),

secundum: tumores glutinosi, in quibus collae (enchondroma),

tertium: tumores adiposi, in quibus adipis (lipoma) prae caeteris praevalet copia, carcinomata tumoribus albuminosis addenda sunt. Alia est osteoidis ratio; in quo, etsi malignae naturae tumore, tamen colla praestat, ut supra ostendimus.

Ex momentis illis tribus, ad dividendos tumores aptis, quorum supra (2) memoravi, quamquam unumquodque maxime nos adjuvat, tamen uno singulo adjuti, certi aliquid de morbi natura edicere non possumus. Sunt enim tumores, qui quod structuram inter se similes,

---

(1) Vide pag. 14 et 15.

(2) Vide pag. 10.

diversissimi inveniantur quoad naturam evolutionis, contra pseudoplasmata nonnulla, quae simillima quoad naturam evolutionis, chemica analysis maxime discernit. Comparatione igitur momentorum trium illorum semper uti debemus, ad naturam pseudoplasmatum, persaepe occultam, cognoscendam. — Sub finem videamus,

QUI FUERIT MORBI EXITUS.

Amputatio cum die vigesimo mensis Novembris facta esset, homo pro viribus ut supra jam dixi, bene se habuit. Dolores deerant, pulsuum ictus in horae sexagesima parte numerabantur centum et sedecim; aegrotus tranquillus erat, lingua humida, fames integra. Ascites paulatim succubuit. Diebus insequentibus tribus nihil mutatum est, excepta pulsuum conditione. Laesione enim tanta facta, reactio corporis exoriebatur non parva, ita ut pulsuum ictus centum et quadraginta numerarentur. Die tertio epithemata frigida, quibus adhuc utebamur ad vulnus tegendum, sublata sunt, ne vim vitalem nimis minueremus. Aegrotus semper somno gaudebat excellenti.

Vigesimo quinto Novembris die, fasciae, quibus devinctum fuerat vulnus, remotae sunt, nec vulneris ea conditio inveniebatur, quam exspectabamus. Pus enim liquidum, mixtum cum sero semper exstillante, telaque sphacelosa decolor vulnus explevit, atque facile erat intellectu, spem omnino nos fefellisse, cum vulnus per primam intentionem nos ad integrum reducere sperassemus. Mutata igitur cura, fomenta facta sunt ex infuso specierum aromaticarum. Post meridiem aegrotus conquere-

batur de tussi sicca, quae inspirationibus profundis provocaretur, quamvis doloribus adhuc vacuus esset. Sputa tenacia inveniebantur, subcruenta. Auscultatio ad basin pulmonis dextri crepitationem, superiore parte respirationem paene tubariam nos docuit. Pulsus magni quidem, tamen vacui celerisque ictus numerabantur centum triginta sex in horae sexagesima parte; urina flava erat, temperatura corporis non aucta, lingua pura atque humida, sitis modica. Facta igitur venaesectio unciarum octo, cum ex hypostasi sanguinis oriri symptomata haec arbitraremur, atque pro usu interno praescriptum est:

Rp. Radicis Althaeae ʒjj
Coque cum Aq. ℥xii ad collat. ℥vj
Collat. refrigerat. adde:
Kali nitrici ʒj
Syrup. simpl. ℥j.
M. D. S. Secunda quaque hora cochlear sumendum.

Vigesimo septimo Novembris die inflammatio fracta est. Cum sputa critica insecuta essent, restabat, ut expectorationem sublevaremus. Cura igitur mutata, praescripsimus:

Rp. Radicis Senegae ʒjj
Coque cum Aq. q. s. ad Collaturam ℥vj
Collat. refrigerat. adde:
Ammonii muriat.
Aq. Amygd. amar. āā ʒj
Syrup. Althaeae ℥j.
M. D. S. Secunda quaque hora cochlear sumendum.

Pulsus ad ictuum centum et viginti frequentiam reductus est. Signa hydropica magis magisque diminuta sunt, oedema scroti et femoris sinistri omnino sublatum, hydrops ascites multo minoris ambitus inveniebatur. Vulnus, ut antea dictum, adhuc curatum est, quo factum ut, tela sphacelosa paululum remota, granulationes in conspectum venirent, sparsae, tamen languidae mucosae.

Primo Decembris die. Ut naturam in vulnere sanando adjuvaremus, fasciae quibus vulnus devinctum est decocto Chinae (ex uncia una ad collaturam ponderis unius parato) cui liquaminis Myrrhae uncias duas addidimus, madefactae sunt. Lintea rasa, quae supra tegebatur, vino camphorato conspergebatur. Aegrotus semper, optime sese habere, edixit.

Die Decembris quarto. Aegrotus doloribus pungentibus, in regione cordis exortis, cruciabatur. Qua de causa cum auscultationem institueremus, ad hypertrophiam cordis statum inflammatorium accessisse invenimus, quo aegroti dolores effecti sunt. Hirudinibus igitur octo ad regionem cordis appositis pro usu interno praescriptum est:

Rp. Herbae Digital. purp. ℈β
Infunde Aq. fervid. q. s. ad Collat. ℥vj
Refrigerat. adde:
Aq. Amygd. amar. ʒjj
Syrup. simpl. ℥j.
M. D. S. secunda quaque hora cochlear sumendum.

Tussi, quae ex pneumonia adhuc restabat, sputa

critica sine ulla contentione exspuebantur. Diebus insequentibus, cum dolores pungentes adhuc perdurarent, iterum hirudines sex, die insequenti hirudines octo ad regionem cordis appositae sunt; tamen aegroti status non multo in meliorem se vertit. Vulnus e contrario in dies melius evasit; granulationes enim apparuerunt meliores frequentioresque, puris conditio bona videbatur, vulneris margines adpropinquare inter se coeperunt.

Die Decembris octavo. Vulnus cum faustum polliceri nobis videretur exitum, hydrops iterum incrementum fecit. Oedema femoris sinistri, scroti et faciei advenerunt, hydrops ascites magis magisque increvit. Nec fugere nos potuit, hydrothoracem quoque ad alia miseri mala advenisse. Inspirationes enim permultae, quas numerabamus, doloresque pungentes nonnumquam exorti, non minus, quam conditio universa pueri hydropica suspicationem provocarunt; auscultatione adjuti, diagnosin certam facile constituimus. Docuit enim auscultatio:

> Pulmonum amborum regione inferiore nullam adesse respirationem vesicularem; superiore dextri pulmonis parte respirationem sonoram percepimus; sinister pulmo parte superiore respirationem ostendit, cum magnis et parvis bullis mixtam.

Pulsuum ictus centum quadraginta, immo vero centum sexaginta in horae sexagesima parte enumerabamus; cutis pallida erat, sicca, urina parca; tussis, antea jam magis remota, saepissime iterum exorta, aegrotum vehe-

menter vexabat. Ut conditionem miserrimam, quantum fieri posset, sublevaremus, praescriptum est:

Rp. Rad. Senegae ʒjj
Coque cum Aq. q. s. ad Collatur. ℥vj
Sub finem coctionis adde:
Herbae Digitalis purp. ℈β.
Collatur. refrigerat. adde:
Oxymel. Squill. ℥β
Aq. Amygd. amar. ʒjj
Syrup. Althaeae ℥jβ.

M. D. S. Hora quaque secunda cochlear sumendum.

Insequentibus diebus cum miseri dolores magis magisque augerentur, dyspnoea adesset quam maxima, livor faciei, summa anxietas, denique die Decembris duodecimo mors insecuta est.

QUAE DOCUERIT SECTIO CADAVERIS.

In cavo cranii nil abnorme apparuit, cum in ventriculis seri non major copia adesset, quam statu integro, et venae superficiales modice tantum sanguine impletae essent.

Cavum thoracis. Sterno sublato pleura pulmonalis cum costali utriusque lateris concreta esse visa est, et saccus pleurae uterque exsudato seroso impletus. Quod exsudatum pleurae costalis dextrae gelatinosum apparuit, digiti decimam circiter partem crassum, sero permulto infiltratum. Si aegrotus per longius temporis spatium vixisset neque ratio evolutionis prohibita fuisset morte, ut in eandem pathicam substantiam, in Osteoidem commu-

taretur exsudatum hoc, futurum fuisse, videtur verisimile.

Cordis hypertrophia sectione confirmabatur; nihil aliud in hoc organo inveniebatur ab integro abhorrens, nisi in pericardio fluidi serosi aliquid effusum.

In pulmonibus ipsis sanguinis stasin, cujus antea memoratum est, infiltratio secuta erat pulmonis totius dextri; hepatisatio inferiore parte alba, superiore rubra apparuit. Tubercula miliaria in utroque pulmone sparsa inveniebantur, sed non frequentia; nec deerant cavernae singulae (qualis in sinistri pulmonis regione clavicularia maxima, magnitudinis nucis avellanae inveniebatur.) Prae caeteris autem in oculos cecidit substantia eburnea dura, quae inhaerens substantiae pulmonis ipsius dextri, cum persecarem massam ostendebat albam, osseam. Haec ossificatio intus diploem ossium admodum duram obferens formae in universum rotundae erat diametri fere pollicis. Minor alia ossificatio magnitudine pisi aderat. Joa. Müllerii, quo praesente sectio cadaveris facta est, secuti sententiam, eadem ex massa, qua osteoides, substantiam hanc formatam esse, reperimus. Restat ut Simonis exploratione chemica adjuvante, certum de hac re judicium confirmetur.

Cavum abdominis. Hepatis, lienisque hypertrophia quidem parva inveniebatur, tamen quoad structuram duritiemque et colorem omnino immutatae videbantur. Ventriculus, tractus intestinalis, organa uropoetica, omnino sana apparuerunt. —

Unum tantum restat momentum, memoratu dignum. Mirum videbatur, osteoidem, de quo scripsi, tam brevi tempore ad tantam magnitudinem provectum esse. Scimus omnes, carcinomatum varia genera excepto carcinomate medullari tardius progredi atque vitam hominis medico adjuvante, per longius temporis spatium protrahi posse. Hoc in casu cur rapidius exstiterit tumoris incrementum, duae mihi videntur causae praedisponentes; quarum altera posita est in:

constitutione hominis. Morbi indoles diutius certe latuit in aegroti corpore; quae cum per longum tempus puer viveret in optima conditione, morbum reprimente, cum aëre semper salubri frueretur atque corporis exercitationibus, acquievit, donec loco minoris resistentiae plaga accepta constituto rapide eveheretur. Quod medicorum multorum eorumque egregie versatorum experientia docti persaepe fieri, pro certo habemus. Aeque ac si bestia quaedam fera, (ut mihi liceat uti hac comparatione) mansuefacta hominum labore, diutius jam crudelitatis innatae exemplum nullum dederit, tamen, quum guttam sanguinis videat, revocata natura indomita surgit, atque furorem effundens in custodem rapide dilaniatum relinquit miseri cadaver; ita dyscrasiae quoque hae, per longius quidem temporis spatium acquiescentes, cum exoriundi occasio data sit, mala provocant atque ingenti celeritate ad maximum gradum perducunt.

Altera autem causa, qua factum est, ut tumor tam

brevi tempore ad tantam magnitudinem evehatur, posita mihi videtur in:

aetate aegroti juvenili. Omnes enim scimus, morbos certos in certis praecipue humanae vitae aetatibus apparere. Morbi omnes, qui debilitatem senilem, decrepiditatemque universam sequuntur, in his gangraena senilis, ossificatio arteriarum similesque in senectute inveniuntur; affectiones arthriticae provectioris aetatis pulmonum morbi juvenum esse solent. Quod idem hoc nostro in casu vidimus. Aegrotus enim puer annorum quatuordecim pubescere coepit. Quo tempore cum omnino mutationes et corporis et animi hominum quam maximas oriri videamus, in primis ossa ad altiorem evolutionis gradum perducuntur. Ossa cranii formam certam adipiscuntur; maxilla inferior, quae antea divisa erat, jungitur; vertebrae primo tempore cartilaginosae, tum ex tribus compositae ossibus, in ossa singula confirmantur. Quod idem fieri vidimus in osse sacco, ossibusque pelvis. Ossa tubulosa longiora redduntur, medulla explentur. Epiphyses, antea cartilaginosae, postquam in compactam substantiam osseam mutatae sunt, et diaphyses, priore tempore cartilagine tantum junctae, postea os singulum formant. Quomodo cum pubertatis esse videamus, ut ossa antea non confirmata, substantiaeque mollioris ad duritiem perducat atque vim, quibus utantur ad sustentandum corpus, hac quoque aetate maximam ad morbos diversissimos praedispositionem iis inesse vidimus. Ut quaeque enim pars corporis humani fit maxime evo-

luta, ita maxima ei inest conditio morborum excolendorum. Dyscrasiae qualescunque quiescant in corpore quanta rapiditate excolantur in pubescentibus occasione quantumvis parva data, res est omnibus nota, exemplo nostro confirmata.

E contrario videmus homines, quorum constitutio omnis manifeste docuerit dyscrasiam latentem, cum evolutionis annos superaverint, persaepe cum pubertate dyscrasias quoque superasse. Nec quidquam est, quod impediat, quominus puerum nostrum, cum annum vigesimum excessisset, mutasse naturam lymphaticam putemus, nec morbis excolendis tantam fuisse in eo praedispositionem. Nec umquam plaga accepta tanto fuisset homini decremento.

V I T A.

Eduardus Ruffmann in Borussiae orientalis pago Kobbelbude, qui non multum abest ab urbe Regismonte, anno MDCCCXX. natus sum, patre Carolo Ruffmann, qui munere regio fungitur, matre Joanna e gente Stollhoff, quibus Dei benevolentia, adhuc salvis gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis et domi imbutus sum et in gymnasio Kniphofiano, quod tunc temporis directore Lucas florebat; anno MDCCCXXXVIII., examine abiturientium rite absoluto, testimonio maturitatis ornatus a Prorectore magnifico Drumann civibus universitatis Regiomontanae adscriptus et in medicorum ordinem ab Ill. Seerig, t. t. decano spectabili, relatus sum.

Per semestria sex hisce et philosophicis et medicis virorum et Ill. et Cel. uti mihi licuit praelectionibus: Cel. Rosenkranz de logice, metaphysice, et encyclopae-

dia philosophica, Cel. Lucas de libro »Faust,« Ill. Drumann de historia nostrae aetatis, doct. Gervais de Germanorum litteratura; tum juridicas quoque nonnullas frequentavi scholas apud viros Ill. Schweikart, Sanio de Buchholz. Tum Cel. Meyer de botanica generali et speciali disserentem audivi, Ill. Rathke de zoologia, de splanchnologia et angiologia, Cel. Dulk de chemia experimentali, zoochemia et phytochemia. Osteologiam, syndesmologiam, myologiam, neurologiam, artemque cadavera rite secandi, et anatomiam generalem Exp. Burdach jun., physiologiam Exp. Cruse, chirurgiam Ill. Seerig me docuerunt.

Auctumno anni MDCCCXLI. ad hanc almam universitatem me contuli, a rectore magnifico Ill. Dieterici in numerum civium academicorum receptus, et ab Ill. Juengken, t. t. Decano spectabili, in medicorum album inscriptus sum.

Inde ab illo tempore hisce gavisus sum praeceptoribus: Cel. Eck de pathologia, Cel. Romberg de diagnosi morborum cordis, pulmonum atque nervorum, Exp. Isensee de morbis cutaneis, Ill. Kluge de arte obstetricia. Scholis clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis apud viros Cel. et Ill. Wolff, Jüngken, Romberg et Kluge adfui.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Nunc vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, dissertatione conscripta, thesibusque publice defensis, spero fore, ut summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES.

1. Suicidium semper animi morbum supponit.
2. Omne animal temperamento praeditum.
3. Medicus nemo, nisi psychologus.
4. Naevi materni ex matris imaginatione oriri possunt.
5. Nullum est certum graviditatis signum, excepta auscultatione.